Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26503
Copyright: Admont, Benediktinerstift

200

in qua stantes omnes inspiciunt. Cuius forma primum rotunda erat, sic et am-
phitheatri. Postea ex medio amphitheatro theatrum factum est. Theatrum autem
ab spectaculo nominatum, a potes theorias, quod in eo populus stans desuper atque
spectans ludos contemplaretur. Idem vero theatrum, idem et prostibulum, eo quod post lu- Prostibulum.
dos exactos meretrices ibi prosternerentur. Idem et lupanar vocatum ab eis- Lupanar.
dem meretricibus, quae propter vulgati corporis levitatem lupae nuncupabantur.
Nam lupae meretrices sunt, a rapacitate vocatae, quod ad se rapiant miseros seu
apprehendant. Lupanaria autem a paganis constituta sunt, ut pudor mulierum
infelicium ibi publicaretur, et ludibrio haberentur tam hi qui facerent quam quae
paterentur. De Scena. Scena autem erat locus infra theatrum in modum domus Scena.
instructa cum pulpito, qui pulpitus orcistra vocabatur, ubi cantabant co-
mica, tragica, atque saltabant histriones et mimi. Dicta autem scena Graeca ap-
pellatione, eo quod in speciem domus erat instructa. Unde et apud Hebreos tabernaculorum
dedicatio a similitudine domiciliorum CKHNOΦHΓIA appellatur. De Orcistra.
Orcistra autem pulpitus erat scenae, ubi saltator agere posset, aut duo inter se Orcistra.
disceptare. Ibi enim poetae comoedi et tragoedi ad certamen conscendebant,
hisque canentibus alii gestus edebant. De Tragoedis. Officia scenica: tragoedi,
comoedi, themelici, histriones, mimi et saltatores. Tragoedi sunt qui antiqua Tragoedi.
gesta atque facinora sceleratorum regum luctuoso carmine spectante populo con-
cinebant. De Comoedis. Comoedi sunt qui privatorum hominum acta dictis ac gestu Comoedi.
cantabant, atque stupra virginum et amores meretricum in suis fabulis exprime-
bant. De Themelicis. Themelici autem erant musici scenici, qui in organis et li- Themel.
ris et citharis praecanebant. Et dicti themelici quod olim in orcistra stantes
cantabant super pulpitum quod themele vocabatur. De Histrionibus.
Histriones sunt qui muliebri indumento gestus impudicarum feminarum exprime- Histriones.
bant; hi autem saltando et historias et res gestas demonstrabant. Dicti autem hi-
striones, sive quod ab Histria id genus sit adductum, sive quod perplexas historiis
fabulas exprimerent, quasi historiones. De Mimis. Mimi sunt dicti Graeca Mimi.
appellatione, quod rerum humanarum sint imitatores. Nam habebant suum aucto-
rem, qui antequam mimum agerent fabulam pronuntiaret. Nam fabulae ita componeban-
tur a poetis ut aptissimae essent motui corporis. De Saltatoribus.
Saltatores autem nominatos Varro dicit ab Arcade Salio, quem Aeneas in Ita- Saltatores.
liam secum adduxit, quique primo docuit Romanos adolescentes nobiles saltare.
Est plane in artibus scenicis Liberi et Veneris patrocinium, quae privata et propria sunt
scenae de gestu et corporis fluxu. Nam mollitiae Libero et Veneri immolabant, illi